

Band VIII., Nr. 3285, Seite 421-422

Konrad der Ältere und Konrad der Jüngere von Weinsberg verkaufen als Vormünder der Söhne Engelhards von Leinburg deren Besitz in Gundelsheim um 200 Pfund Heller an das Stift Wimpfen.

Ohne Ortsangabe, 1283. Oktober 27.

Conradus senior et Conradus iunior nobiles de Winsperg presentium inspectoribus universis salutem et firmiter credere subnotatis. Tenore presentium protestamur et recognoscimus publice profitentes, quod nos tutores puerorum Engelhardi bone memorie de Lünburg pro solutione eorundem facienda, ne dampna gravia et pericla intollerabilia orirentur, universa bona eorum proprie propria in villa Gundolsheim et eius terminis sub castro Horneck sita, videlicet areas domos agros prata vineas census, quesita et inquisita, que quondam Cūnradus advocatus de Limpach detinuit obligata, ab omni servitio exactio-
ne et stura libera iusto venditionis titulo pro ducentis libris Hallensium iam nobis numeratis vendidimus honorabilibus viris preposito decano et capitulo ecclesie Wimpinensis iure proprietario in perpetuum libere possidenda, hiis sane condicionibus interiectis, ut, cum pueri ad annos discretionis pervenerint, prefatam venditionem per nos factam gratam et ratam se habere profiteantur dictis bonis in personis propriis renuntiando et ea resignando seu manumittendo in civitate Wimpinensi superiori vel inferiori. Super qua resignatione etiam dictis dominis preposito decano et capitulo sua publica exhibebunt instrumenta et a die resignationis facte tam nos quam pueri prefati ipsis dominis insimiliter remanebimus obligati ad debitam warandiam faciendam secundum communem morem terre et consuetudinem approbatam, videlicet ad annum et diem. Medio vero tempore, quamdiu dicti pueri ad annos discretionis non pervenerunt, si quispiam dicta bona impetere vel venditionem huiusmodi quoquammodo impedire voluerit, promittimus fideliter prelibatis dominis predictae venditionis contractum per nos initum infra spatium unius mensis, cum requisiti fuerimus, idoneum facere per omnia et fidelem nostris laboribus et expensis, ita tamen, quod prescripti domini ei vel eis venditionem prefatorum bonorum per nos factam impedire volenti vel volentibus terminum assignabunt, qui terminus nobis intimabitur eorum laboribus et expensis, in quo termino et loco ad hoc prefixo comparebimus, inpedimentum qualecunque fuerit ipsis dominis subortum penitus cassantes iustitia vel amore. Quod si aliquo casu inpediente omnia superius expressa non perduxerimus ad effectum, Henricus scultetus et eius frater Conradus

II

dictus Strullo, Heinricus filius Wigmari, Hartmudus dictus Lemmelin, Bertoldus dictus Grawe cives civitatis in Heilprunne, Waltherus dictus Schevelenzer et Hartmudus dictus de Gartach cives superioris civitatis Wimpinensis, quos pro cautione et fideiussoribus prefatis dominis super huiusmodi obligavimus, quilibet in sua civitate relictis propriis domibus ad obstagium se presentabunt expensas in nostrum dampnum faciendo more fideiussorio tamdiu, quousque omnia predicta fuerimus executi. Insuper si aliquis fideiussorum predictorum, quod absit, decesserit, unum equivalentem infra spatium unius mensis loco huius substituemus, quod si non fecerimus, reliqui fideiussores se ad obstagium recipient, ut est pretactum, quousque alter fuerit substitutus. Huius rei testes etiam sunt: predicti fideiussores, Burkardus, Sifridus dicti Stamler milites, Gerhardus dictus Pavo de Hornberg miles, Conradus de Nisperg, Conradus de Eicholfsheim, Marquardus et Conradus fratres de Nivern et Conradus advocatus ditorum puerorum et alii quam plures fide digni. Ne igitur super huiusmodi aliquid vacillare contingat, nostrum sigillum et sigilla civitatum Heilprunne et Wimpina presentibus sunt appensa in testimonium premissorum. Nos sculteti consules iurati scabini ac universi cives civitatum Heilprunne et Wimpina ad instantiam et petitionem prefatorum dominorum Cunradi et Conradi de Winsperg nec non prepositi decani et capituli ecclesie Wimpinensis memorate nostra sigilla, ut premissum est, huic cedulae duximus apponenda.

 Datum et actum anno domini MCCLXXX tertio, in vigilia apostolorum Simonis et Jude.

—

Nach dem Kopialbuch des Stifts Wimpfen, 14. Jahrh., fol. 19 b.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Darmstadt

Signatur/Titel des Originals:

C 1 A Nr. 27, fol. 19 r - 20 v

Überlieferung und Textkritik:

Abschrift im Kopialbuch. Papierkopie im HStA Stuttgart A 136 Bü 17.

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Großeicholzheim Wohnplatz (6170)
 Großeicholzheim, Seckach, MOS
 Großgartach Wohnplatz (2040)
 Großgartach, Leingarten, HN
 Gundelsheim Wohnplatz (1974)
 Gundelsheim, HN
 Heilbronn Wohnplatz (1773)
 Heilbronn, HN
 Hornberg Wohnplatz (6130)
 Hornberg, Neckarzimmern, MOS
 Kleineicholzheim Wohnplatz (6222)
 Kleineicholzheim, Schefflenz, MOS
 Limbach Wohnplatz (6073)
 Limbach, MOS
 Luneburg Wüstung (21836)
 Luneburg, Eppingen, HN, W
 Niefern Wohnplatz (7091)
 Niefern, Niefern-Öschelbronn, PF
 Schloss Horneck : Gundelsheim HN
 Schloss Horneck Wohnplatz (1981)
 Schloss Neipperg : Neipperg, Brackenheim HN
 Schloss Neipperg Wohnplatz (1884)
 Weinsberg Wohnplatz (2238)
 Weinsberg, HN
 Wimpfen am Berg Wohnplatz (1852)
 Wimpfen am Berg, Bad Wimpfen, HN
 Wimpfen im Tal Wohnplatz (1853)
 Wimpfen im Tal, Bad Wimpfen, HN